

ANTONII MVSÆ BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS

IN PRIMVM LIBRVM APHORISMORVM HIPPOCRATIS & Galeni, Commentaria & Annotationes.



ON POSSVM NON VALDE LÆTARI atq; gestire, auditores benignissimi, post tot perperos labores, nos hodie hoc solium descendisse, in quo iam diu publice interpretari, & uos edocere affueti sumus. nam superioribus mensibus illustrissimus & excellētissimus Dux noster Hercules coegit nos publicas lectiones intermittere, ut illum Romam ad Paulum tertium Pontificem maximum, & Neapolim ad Carolum imperatorem quintum comitaremur. In qua re opus fuit patrono atq; bene mercenari principi obtemperare. Sed quoties intermissionarum lectio- num memoria subibat, mentis oculi à lachrymis temperare non poterant. & si nunquam in hoc quatuor mensium spatio otiosus fuerim: nempe inter publicas, bibliothecas atq; priuatas, inter honorū uirorum confessus atq; disertationes, inter res nouas inquirendas continuò uersatus sum. At nihil unquam uisum est conducibilius, quam publicis lectionibus insudare, & in publicam disertandi arenam descendere, & eo præsertim si auditores probi sint, atq; seduli, quales uos esse iam nouimus. Ne in igitur uestrum admiretur, si in antiquam sedem reuersus gestiam, & ea interpretatus quæ nondum antea publice aggredi tentauimus. Nam octo annis in hoc almo Ferratiensi gymnasio Dialecticæ gyros interpretati sumus. Deinde philosophiam naturalem nouem annis. Nunc uero eandem naturalem philosophiam sub alio nomine interpretari auspicabimur, nempe Medicæ rei theoriam, naturalis philosophia partē summū uiri censuerunt: propterea à naturali philosophia nec g̃y quidem discedemus. At Hippocratis Aphorismos interpretando elegimus, atq; suscepimus, quoniam nullum opus æque utile inueni potest eo, qui Hippocraticas sententias amplectitur, & aphoristicas præservit. Nosq; interim tarditatem lectionum, sedulitate compensabimus, inutiles disputaciones omittentes, & solam integrum authoris ueritatem, quantum uires nostræ suppetent, exprimentes. Etenim quum in primo lectionum limine interpretes addubitatim soleant, An res medica, ars sit, uel scientia: & an practica, uel speculativa: & de eius obiecto, quæ ambiguitates potius dialecticæ sunt, quam ad hanc artem spectantes, quippe ad curandos ægros nihil proficiunt: sed ad quandam apparentiam potius, & garrulitatem faciunt, propterea eas nos relegabimus, dicens Medicinam & artem esse atq; scientiam & practicam solam, ut in questionibus de hoc proposito aliás ostendere tentauimus. Quum uero & hi qui in publicis scholis hoc opus profitentur, aut Iacobum, aut Vgo- nem, aut alium ex recentibus imitari soleant: nos ex his nullum imitabimur, utpote qui ad ueritatem exprimēdam plus obsint, quam prodesse possint. At Hippocratem ipsum, & Galenū, ac reliquos antiquiores autores totis artibus imitari studebimus. Nempe ex Hippocrate Hippocratem, & ex Galeno, non solum in huius libri commentariis, sed in alijs etiam suis uoluminibus interpretabimur: nullus enim est, qui aptius mente suam se ipso intelligat. Sed ut ad rem ipsam descendamus, quia necessarium est artis medicæ intentionem præscire, scito Græcos omnes, & Aristotelem potissimum Artem definire, esse rectam rationem rerum à nobis factibilium. At quum medica facultas ars sit, erit recta ratio rerum, quæ in ipsa fiunt. At quæ sint illa quæ fiunt, & in quibus fiunt, per hunc modum edocere tentabimus. In omni arte tria à Græcis authoribus inueniuntur, ὑποκέμενος, τέλος, & σκοπός. Nam in omni arte, artifex ipse subiecto indiget, circa quod eius operatio uersatur, ut lignarius faber si scannum effingere studeat, ligno indiget, in quo scandi formam introducat, idq; scilicet lignum, ὑποκέμενος, idest huius artis subiectum

uocatur. σκόπος uero, uel πρόθεση, hoc est intentio & propositum, est ipsa sciamni forma, eius uero possessio est sciamni τέλος, id est finis, hoc est iam factio sciamno ad sedendum uti posse. Idem in re medica contingit, eius νοντεμπλογι, id est subiectum, circa quod medici actio uersatur, humanum corpus est, ut magister artis Hippocrates in libro De locis in homine docuit, inquiens, Corpus humanum materiam esse medici, σκόπος uero, id est intentio est ipsa sanitas, quam medicus summo studio intendere debet. At τέλος, id est finis est sanitatis possessio, Galeno statim in primo De sectis uestibulo dicente, Medicæ artis scopus sanitas est, finis, ipsius possessio, quamvis in primo De arte curativa libro, uarios medicæ artis fines apud diuersos authores enaret, quippe nonnulli plerunque sanare medicinæ finem censuerunt: alij ea facere que sunt ad sanitatem conducibilia; alij morborū causas adimere. Sed haec ad rem nihil faciunt, quippe Galenus ipse Medicinæ finem, sanitatis possessionem esse iudicauit, scopum uero sanitatem ipsam, quod ita intelligere oportet, medici intentionem esse sanitatem inducere, si absit: si uero adsit, conseruare finis uero est ipsa sanitas possessa secundum quam operamur. Nec putes medicinæ subiectum esse corpus humanum, ut recentiores in suis disputationibus subiectum accipiunt, pro eo scilicet quod uirtualiter omnem scientiam ueritatē continet, Sed solum subiectum est, circa quod medici actio uersatur, & in quod illud inducitur, quod à medico intenditur scilicet sanitas. Vnde nos dicimus, sanitatem subiectum esse, eo modo id uocabulum accipientes, quo recentiores accipiunt, quum de subiecto attributionis ab ipsis uocato uerba faciunt. Et si dixeris, sanitatem ob corpus humanum considerari, ideo potius humanum corpus esse humescopum, uel saltem uitam ipsam, ob quam omnia fiunt, & considerant: ad hoc de humano corpore Galenus in penultimo capite libri De partibus artis medicinalis respondet, quum inquit, humanum corpus per accidens considerari, & non per se: sanitatem uero per se, ad quam omnia alia ducuntur, quae consideranda sunt. Est enim ars factuia, immo, ut dicit Galenus in libro De constitutione artis medicinalis, est ars refectuia. Ad id uero quod de uita dictum est, sanitas ob uitam quidem consideratur. Sed hoc arti extrinsecum est, nempe fieri potest σκόπος, id est artis intentum ad multos extrinsecos fines ordinari. At in ipsa arte illa non intenduntur: ut in re medica propositum est ipsa sanitas, quae ad hunc extrinsecum finem respectu huius artis ordinatur, scilicet ad uitam & ad operationes quae per sanitatem fiunt, uel quae sunt ipsa sanitas. Ex his scire oportet, subiectum attributionis rei medicæ, id est σκόπος esse sanitatem, non corpus humanum: nam ut Aristoteles docet, finis operatiæ artis est subiecti proprij constitutio. At ars medica humanum corpus non constituit, sed sanitatem; id est uero scopus est, uel attributionis subiectum, per quod ars medica ab omnibus alijs distinguitur, quod sanitatem fit, & non humano corpore: nam circa humanum corpus multæ artes uerfantur, tanquam circa materiam in quam agant. Ut igitur receptu canamus: Subiectum rei medicæ, est humanum corpus. Intentio, est sanitas. Finis, est sanitatis possessio.

Hac uero diffusius in questione De medicinæ subiecto explicauimus.

Nunc autem ne ab his nugis institutum nostrum impediatur,
eius libri quem interpretandum suscepimus, incri-
ptionem contemplemur. Illa au-
tem haec est,